

lis non habet copiam confessarii: contritio enim includit necessario dilectionem Dei super omnia.

(50. Unde quoad hoc semper præ oculis habendæ sunt et evitandæ tres sequentes propositiones merito damnatæ ab Innocentio XI, die 2 Mart. 1679. Prima, quinta in ordine, est ut sequitur: « An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret? condemnare non audemus. » Secunda, sexta in ordine: « Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. » Tertia, septima in ordine: « Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus. »

(51. Ultra Deum super omnia, tenemur ex præcepto charitatis diligere proximum sicut nosmetipsos. *Communis*, præcepto expresso *Matth. xxii, 39*, ibi: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, et *Joan. xii, ibi: Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem; et I Epist. Joan., c. iv, ibi: Mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.* (52. Unde Innocent. XI, die 2 Mart. 1679, merito damnavit duas sequentes propositiones: Prima, in ordine decima, est ut sequitur: « Non tenemur proximum diligere actu interno et formali; » secunda, in ordine undecima: « Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. »

(53. Item ex speciali præcepto charitatis tenemur diligere inimicos. *Communis*. Sic enim expresse præcipit Christus *Matth. v, ibi: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*; quod præcepit sub peccato gravi; nam *Matth. xviii, 35*, habetur, quod nec Pater cælestis dimittet nobis peccata, nisi prius dimiserimus fratri nostro de cordibus nostris, ibi: *Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*; et *Marci xi, 26*, ibi: *Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra*; et idem habetur *Matthæi vi, 15*.

(54. Inimicis tenemur ex præcepto charitatis exhibere communia et generalia signa dilectionis communiter omnibus aliis ejusdem status, conditionis ac qualitatis præstari solita. *Communis*. Unde tenemur inimicum salutantem resalutare, interroganti respondere, emere volenti vendere, in communibus orationibus et elemosynis eum includere, communia officia vel obsequia, quæ omnibus passim in communitate, civitate, collegio, monasterio, vel domo aliqua exhiberi solent, etiam ipsi præstare, idque sub gravi, vel levi peccato, prout attenda personarum, locorum aut aliarum circumstantiarum conditione gravis aut levis reputabitur contemptus. Et ratio est, quia talis exclusio a dictis, aliisque communibus dilectionis signis vindictam indicat, quæ privatis personis interdicta est, juxta illud *Leviti xix: Non quæres ultionem, neque*

eris memor injuriæ civium tuorum. Et ad Romanos, cap. xii, vers. 19: Mihi vindicta, Ego retribuam, dicit Dominus. Et idem ad Hebræos, cap. x, vers. 30.

(55. Excipiendi sunt tamen casus, in quibus charitas vel justitia. (*Vid. in fin. not. R. T.*) aliud prudenter suadent, aut rationabilis causa excusat; charitas enim erga ipsummet inimicum non semel prudenter suadet negare inimico signa communia dilectionis seu charitatis, videlicet salutationes, responsiones, allocutiones, et hujusmodi, vel quia sic speratur emendandus, errorem suum agnitus et correcturus, vel quia timetur ex his signis deterior futurus, injuriam illatam parvipensurus, et facilius denuo illaturus, aut talia signa charitatis sibi in despectum fieri, aut aliter in malum sensum interpretaturus; item etiam charitas erga seipsum interdum prudenter suadet negare inimico dicta signa, et evitare ejus consortium, colloquium, familiaritatem, et hujusmodi, ne inde nova jurgia insurgant, vetera odia reaccendantur, et graviora mala oriantur, eo quod sit naturæ rixosæ, et hujusmodi.

(56. Justitia aliquando prudenter suadet inimico reo subtrahere communia signa dilectionis seu charitatis, ut sæpe sæpius experientia demonstrat in parentibus, prælatis ac superioribus, qui filios et subditos in se peccantes a communibus beneficiis, vel amoris indicis licite, imo et meritorie excludunt correctionis gratia, ut sic errorem suum agnoscant et emendantur, et de cætero caveant. Sic in dies videmus parentes et consanguineos e suis domibus ejicere, nec ad aspectum, colloquium, convivium aut consortium admittere velle filium vel consanguineum, qui matrimonium indignum contra eorum voluntatem contraxerit, aut alias crimine alicujus infamiae commisso familiam gravi dedecore affecerit; et tales parentes et consanguinei, si non ex animi odio, sed solum ob dicti filii, vel similis filie delinquentis correctionem, familie honorem, ac aliorum majorem cautelam procurandam ad id procedant, et non in perpetuum reconciliationem denegent, sed solum ad tempus differant, quousque videbitur expedire ad eorum punitionem, et emendationem, et alios bonos intentos fines consequendos, non peccant, nec sunt a confessariis vel parochis absolute sacramentali et sacra communione privandi; sic *Layman, Theolog. moral., lib. ii, tract. 3, cap. 4, num. 4*; *Sporer, tom. I, tract. 2 in 1 Præcept. Decalog., cap. 1, sect. 2, num. 23*, et alii.

(57. Rationabilis causa excusat pluries ab obligatione præstandi inimico communia signa charitatis (*Vide not. c. in fin. art.*); et signanter si pater, vel mater vitet aspectum et consortium occisoris proprii filii, non ratione odii, sed ne dolorem renovet cum memoria occisi filii; item si quis sine gravi incommodo sui honoris non possit inimicum salutare; item si quis prævideat inimicum exinde evasurum audaciorum, et sibi nota-

bile damnum esse obvenerum; item si quis ob gravem receptam injuriosam infamiam, præstando sic graviter injurianti et offerenti communia signa charitatis et dilectionis esset nullis argumento ipsum parvi aestimasse tam acerbo injuriam; item si quis sit moraliter certus suum inimicum non esse resalutaturum, et corresponsurum, et sic de aliis similibus.

(58. Specialia signa dilectionis per se loquendo non tenemur præstare inimicis ex præcepto charitatis, sed solum ex consilio. *Communis*. Unde non tenetur inimicos ægrotos invisere, mæstos consolari, egentibus succurrere, pecunias mutuare, hospitio vel convivio excipere, ad familiare colloquium admittere, obviam factos salutare, et hujusmodi; ut tradunt communiter doctores.

(59. Dicitur autem nolanter per se loquendo, quia ob varias accidentarias circumstantias sæpius obligamur inimicis exhibere signa aliqua, vel beneficia specialia charitatis. Et signanter ob evitandum scandalum, utpote si negando inimico signa dilectionis specialia, quæ antea quis ei exhibere solitus erat, majus in se hominis odium, vel inimicitiam concitet, vel alios id advertentes scandalizet: item quando exhibitione hujusmodi signi vel beneficii specialis charitatis animum inimici sibi, ac principaliter Deo facilius reconciliandum quis sperat, vel alias salutem spirituales inimici preventuram; item quando inimicus est in extrema vel gravi necessitate constitutus, tunc specialia beneficia charitatis sunt ei exhibenda juxta exigentiam necessitatis, ut habetur *Prov. c. xxv, et ad Romanos, c. xii, v. 20: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitiverit, potum da illi*. Item præstanda et exhibenda sunt inimico specialia signa dilectionis, quando circumstantiæ sunt tales ut eorum ommissio sit clarum signum odii interni, et sic de aliis similibus.

(60. Quæ ex charitate diligenda sunt, non sunt omnia æqualiter diligenda, sed inter ipsa servandus est debitus ordo charitatis, juxta illud *Cantic. ii: Ordinavit in me charitatem*; unde debet quisque primo diligere Deum super omnia; secundo, se ipsum secundum bona spiritualia; tertio, proximum secundum eadem bona spiritualia; quarto, seipsum quoad bona corporalia; quinto, proximum quoad eadem bona corporalia; sexto, se ipsum quoad bona temporalia externa; et septimo, proximum quoad eadem bona temporalia externa. *Communis*.

(61. Hinc post Deum tenetur quisque, cæteris paribus, magis diligere animam suam quam animam proximi. Et ratio est clara, quia, ut dicit Scotus in 8, dist. 29, n. 1, Mensura est perfectior mensurato, sed dilectio sui est mensura dilectionis proximi, ut patet ex *Matthæi xxii, ibi: Diliges pro-*

(127) Memnisse hic debet auctor noster illius Christi sententiæ *Joan. xv, 15: Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; quam recitat numero sequenti, comperisset enim tunc statum peccati mortalis non ob-

ximum tuum sicut te ipsum, ergo, etc.

(62. Tenetur autem quisque magis diligere animam proximi quam proprium corpus. Unde proximo versanti in extrema, et moraliter insuperabili necessitate spirituali, succurrendum est cum certo periculo propriæ vitæ; dummodo adsit spes æque certa eum juvandi, et nullum gravius damnum inde secuturum timeatur. *Communissima*, cum sancto Augustino lib. ii *De doctrina Christ., cap. 27*; sanct. Thoma, 2-2, quæst. 26, art. 5, teste *Sporer, tom. I, tract. 3, in IV præcept. Decalog., cap. 6, n. 125*. Et hoc habetur ex verbis Christi *Joan. xv, ibi: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*. Christus autem ita nos dilexit, ut tradiderit suum corpus pro animabus nostris. *Tradidit semetipsum pro nobis*, ut scribit Apostolus *ad Ephes. v*; ut docet Joannes apostolus *Epist. I, cap. iii: In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*; unde subjungit: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*. Hinc S. August., lib. *De mendacio, cap. 6*, expresse dicit: « Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere. Unde tenetur quis baptizare infantem et absolvere peccatorem, etiam cum periculo propriæ vitæ, si certo sciat non posse alia via salvari, et aliunde non imminet ipsi periculum damni proprii spiritualis. »

(63. Dicitur autem nolanter: « Dummodo adsit spes æque certa eum juvandi, et nullum gravius damnum inde secuturum timeatur; » quia non tenetur quis succurrere in tali necessitate proximo si spes nulla vel incerta sit eum juvandi, aut si aliud gravius damnum inde secuturum timeatur, ut si tempore pestis et persecutionis infidelium non adsit nisi unus sacerdos, non tenetur ipse pro unius tantum salute vitam suam exponere, cum sic periclitaretur salus totius communitatis; item si quis reperitur in peccato mortali, nec possit commode sibi procurare statum gratiæ, non tenetur pro tunc vitam suam exponere pro salute spirituali proximi, cum sic exponeret morti nedum suum corpus, sed etiam propriam animam, cum ex dictis *supra, n. 61*, teneatur quisque magis diligere propriam quam proximi animam (127).

(64. Propriam vitam pro aliena vita exponere ordinarie non est licitum. Sanctus Augustinus, lib. *De mendacio, ad Consentium, cap. 6*, ubi sic ait: « Si quis pro alterius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est jam diligere illum sicuti seipsum, sed plus quam seipsum, quod sane doctrinæ regulam excedit. » *Layman, loc. cit., cap. 3, n. 6*; *Spor. loc. cit., n. 132*, dicens esse communem recentiorum contra Aragonium, Victoriam, Valentiam, Moli-

stare, quin quis teneatur eo in statu exponere vitam propriam pro proximi spirituali necessitate, cum hujusmodi charitatis actus aptus sit ut gratia recuperari queat, quem tamen comitari deberet actus contritionis.

nam, et alios citatos et secutos a Lessio, lib. II *De justitia*, cap. 9 et sequent., volentes licitum esse, atque laudabile vitam suam corporalem exponere pro servanda vita corporali amici, quia honestas virtutis amicitiae majus bonum est quam vita propria corporalis. Et ratio nostrae conclusionis est, quia, si virtus charitatis, et ordo rectae dilectionis praecipit ut propriam quisque vitam praeferat alienae, sequitur nullam virtutis et honestatis laudem esse propriam vitam exponere pro aliena servanda. Fateor tamen contrariam opinionem esse vere probabilem, cui favet illud Christi, *Joan. xv: Majorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Layman, *loc. cit.*, cum pluribus aliis ibi allegatis.

Apposite Antoine in tract. *De virtutibus theologis*, art. 2, cap. 3, quaest. 2, corollar. 2: In quacunquē corporali necessitate aequali licet sibi potius subvenire, quam alteri privato: nam nemo tenetur diligere proximum magis quam seipsum, sed solum sicut seipsum. « Non quis de necessitate charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu quo tenetur ejus saluti providere. Sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem charitatis, » ait S. Thomas, 2-2, q. 28, art. 5 ad 3. Imo juxta multos, tenetur seipsum magis diligere quoad vitam temporalem, et bona ejus conservationi necessaria, quam proximum parem vel inferiorem, quia, ut ait S. Augustinus lib. *De mendac.*, cap. 6: « Si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere sicut seipsum sed plus quam seipsum: quod sane doctrinae regulam excedit. » Praeterea per se loquendo charitas magis inclinatur subjectum suum ad sui conservationem, quam ad conservationem alterius privati. Ergo qui privati vitam suam praefert, agit contra inclinationem charitatis; et consequenter peccat contra charitatem. Alii tamen multi cum S. Thoma censent, licere vitam propriam exponere pro servanda vita alterius privati, non quidem praecise ob bonum vitae proximi, qui ut talis non debet praeferi vitae propriae; sed ob speciale quoddam virtutis exercitium, quod in certis circumstantiis exurgit ex alio titulo, v. g. si vitam exponat pro altero, ejus vita sit utilior ad promotionem gloriae Dei; si pro parente, insigni benefactore, etc. Nam, inquit, actus virtutis Christianae, qui tunc exercetur, majus bonum est vita temporali. Textum vero S. Augustini allatum explicat si vita amittatur ob vitam proximi praecise sumptam ut talem, non autem ob exercitium virtutis*.

(65. Dicitur autem notanter *ordinarie id licitum non esse*, quia pro salute personae publicae, ex qua multum dependet bonum commune, sicuti pro communi totius reipublicae, et multo magis pro fide et religione catholica vitam propriam exponere, non solum licitum et laudabile est, sed est etiam necessarium. Sic communis doctorum. Et

ratio est, quia bonum commune praevalet, et praerendum est bono particulari. Unde sicuti in naturalibus pars una corporis periculo se exponit pro servando toto corpore, ita et in politicis particulare reipublicae membrum pro servanda tota reipublica. Item licitum est ac meritorium vitam propriam exponere pro vita corporali proximi, si ejus morti annexa esset mors spiritualis animae, ut ad impediendam aeternam damnationem injusti aggressoris, cum illud occidere jure possit injuste aggressus, si aliter se defendere nequeat, potius permittere, ac tolerare mortem propriam corporalem est opus maximae charitatis, et summe meritorium.

(66. Inter proximos magis diligendi, et prius subveniendi sunt, qui nobis magis conjuncti sunt juxta triplicem conjunctionem, spiritualem, carnalem et moralem, seu civilem. *Communis*, et clare habetur ex Apostolo ad *Galatas* vi, ibi: *Operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei*; et I ad *Timoth.* v, ibi: *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*: unde qui magis nobis conjuncti sunt conjunctione spirituali, praerendi sunt in bonis spiritualibus; qui nobis magis conjuncti sunt conjunctione carnali, praerendi sunt in bonis pertinentibus ad naturam et vitam corporis; qui nobis magis conjuncti sunt conjunctione morali seu civili, praerendi sunt in rebus pertinentibus ad civilem communicationem, et sic concives praerendi sunt in his rebus aliis extraneis et in rebus bellicis praerendi sunt commilitones, et sic de similibus.

(67. Quinam ordo servandus sit in necessitate extrema, gravi et communi, *Vide verb. NECESSITAS*.

(68. Qui ex inimicitia alium offendit vel laesit exteriori signo, verbo vel facto, tenetur ex charitate ad reconciliationem exterram, petendo ab offenso vel laeso quantum commode potest per se vel per alium signo, verbo vel facto veniam et remissionem offensae. *Communis*. Et ratio est clara, quia qua ratione et forma charitas est destructa, eadem reparari debet. Et sicuti offensor non tenebatur ponere offensam, ita tenetur eam tollere; insuper tenetur ex justitia etiam ad satisfactionem injuriae, et ad restitutionem damni illati, nisi offensus et laesus gratis remittat.

(69. Dicitur autem notanter, *quantum commode potest*, quia nemo tenetur ad hanc reconciliationem cum inimico offenso cum gravi vel graviori suo incommodo, quam fuerit offensio, vel laesio illata proximo, uti esset gravis infamia, si offensio et laesio hostilis fuerit occulta, vel si offensus et laesus sit absens, nec facile conveniri possit, et hujusmodi.

(70. Veniam petere ab inimico laeso vel offenso tunc solum necesse est, quando gravis fuit offensio vel laesio, et aliud remedium, seu modus non occurrit ad reconciliationem. *Communis*.

(71. Unde non est obligatio petendi veniam, 1° si injuria, vel laesio non fuerit gravis; 2° si aliter satisfieri potest offenso vel laeso, verb. grat. per pecuniam, per specialia signa et officia amicitiae, per aliqua particularia beneficia, aut per aliorum intercessionem; 3° si offensus vel laesus petitionem veniae non curet, vel censetur remittere; 4° si injuriae et offensae inter inimicos factae invicem se compensant; 5° si offensus vel laesus per petitionem veniae sibi ab offensore factam sit magis irritandus; 6° si laedens vel offendens sit longe superior offenso; ut non conveniat a subdito, et longe inferiori veniam petere propter diminutionem auctoritatis et superioritatis; teneatur tamen aliis beneficiis, signis et argumentis subditi laesi animum reconciliare; 7° si apud aliquos, verbi grat. nobiles viros, veniae petitio in usu non sit, sed aliter fieri soleat reconciliatio. Sic doctores passim.

(72. Et duobus mutuo se offendentibus vel inimicis factis, si injuriae seu offensae fuerint aequales, reconciliationem petere et procurare salutando, alloquendo, aut, si opus fuerit, veniam petendo, tenetur prius qui prior offendit, vel prior causa rixae existit; si autem injuriae vel offensae fuerint inaequales, tunc tenetur qui gravius offendit, quamvis posterior offenderit; et si contingat injurias censi moraliter ita pares et simultaneas, ut, omnibus consideratis, non appareat cur unus non potius quam alter debeat esse prior in veniam petenda, tunc uterque tenebitur, data occasione, inchoare reconciliationem, salutationem, alloquium, etc., nisi consuetudo, vel mos patriae esset, ut unus potius quam alter deberet praevenire; unde generaliter loquendo, inter aequales, is debet prius salutare, et alloqui, qui coram alio stante vel sedente transit, vel de novo accedit. Sic doctores communiter.

(73. Omnis offensus vel laesus tenetur offensori veniam petenti vere et sincere injuriam et offensam remittere, salva tamen justitia et jure suo. *Communis*, et habetur clare ex pluribus evangelicis textibus. *Luc.* enim cap. xvii, 3 et 4, praecipit Christus: *Si peccaverit in te frater tuus, et poenitentiam egerit, dimitte illi, et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens poenitet me, dimitte illi*. Et *Marci* cap. xi, 26, expresse dicit: *Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in caelis est, dimittet vobis peccata vestra; et idipsum dicit Matth. cap. vi, 14, ibi: Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra; et Matth. cap. xviii, 35, narrata parabola de servo nequam et crudeli damnato ad carceres, ex quo noluerit dimittere debitum conservo suo, concludit: Sic et Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*.

(74. Dicitur autem notanter, *salva tamen justitia, et jure suo*, quia non obstante quod offensus vel laesus teneatur vere et

sincere injuriam vel offensam offensori veniam petenti remittere, potest tamen adhuc per viam juris petere ab ipso debitam satisfactionem et recompensationem pro injuria et damno sibi illato, ut tradunt communiter doct. *Vide verb. PAX*.

(75. Nulla opera hominis sunt Deo grata et meritoria, nisi prius, antequam ea faciat, se proximo suo reconciliaverit. *Communis*, per expressum textum *Matthaei* cap. v, 23, ubi Christus Dominus sic expresse dicit: *Si offers munus tuum ad altare* (intellige etiam de omni alio opere bono Deo grato, et meritorio), *et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet atiquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo et tunc veniens offeres munus tuum*. Quod sic egregie exponit sanctus Augustinus serm. *De verbis Domini in monte, Matthaei* v, ibi: « Si absens est frater tuus, vade non pedibus corporis, sed animo humili te prosterne in conspectu ejus, cui oblaturus es, si praesens, revocandus est ad amorem ab eo veniam petendo, si eum laesisti, vel si te laesit, dimittendo cordis rancorem. »

(76. Virtuti charitatis opponitur directe vitium odii Dei aut proximi, et de hoc *vide ODIIUM* per tot., ubi insuper afferuntur tres propositiones damnatae ad rem facientes.

(77. Item charitati opponuntur plura alia vitia, ut acedia, invidia, ira, scandalum, schisma, bellum, discordia, contentio, rixa, seditio.

(78. Quoad acediam. *Vide verb. ACEDIA* per tot.

(79. Quoad invidiam. *Vide verb. INVIDIA* per tot. ubi etiam de tribus invidiae affectionibus charitati oppositis, nempe de indignatione seu nemese, de zelo seu aemulatione, et de timore, ac de aliis ad rem

(80. Quoad iram *Vide verb. IRA* per tot., ubi etiam de indignatione, rixa, contumelia, ac de aliis ad rem.

(81. Quoad scandalum *Vide verb. SCANDALUM*, per totum.

(82. Quoad schisma *Vide verb. SCHISMA*, per tot.

(83. Quoad bellum *Vide verb. BELLUM*, per tot.

(84. Discordia est dissensio voluntatum circa bonum, quod ex charitate amare debemus. Unde opponitur charitati, quae necessario causat concordiam, consensionem et pacem voluntatum in bonum.

(85. Contentio est altercatio quaedam verborum cum proximo ad impugnandam veritatem, quam ipse sustinet; et haec opponitur paci et charitati, qua tenemur cum proximo consentire in bonis ipsi necessariis, non impugnando contentiose veritatem in rebus ad salutem ejus animae, vel corporis, ad ejus famam, vel fortunam pertinentibus.

(86. Rixa est privatum quoddam bellum inter personas ex odio resultans. Unde opponitur charitati, quia, ut dicitur *Prov. x. 12, Odium suscitatur rixas, et universa delicta*

operit charitas. Per rixam, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 158, art. 2 in corpore, intelliguntur omnia nocentia quæ factis proximis inferuntur ex ira, adeoque pugnae, bellum, seditio, vulnus, caedes et hujusmodi.

(87. Seditio est quædam dissensio inter cives ab his duobus vocabulis seorsim, et *itio*, derivata, quia aliqui cives seditiosi in dissensione dicuntur seorsim ire; hoc vitium opponitur paci politicæ, et est ex suo genere peccatum grave ex parte commoventis seditionem, sicut rixa ex parte rixantis non vero ex parte illius qui invaditur.

(88. Virtutes cardinales quatuor communiter assignantur, scilicet prudentia, justitia, temperantia et fortitudo, de quibus legitur *Sapient. viii*, n. 7: « *Sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilis nihil est in vita hominibus*; ubi per sobrietatem temperantia, et per virtutem fortitudo intelligitur communiter a doctoribus; unde sanctus Ambrosius in cap. vi *Evangelii S. Lucae* sic expresse habet: « *Scimus virtutes esse quatuor cardinales, temperantiam, justitiam, prudentiam, fortitudinem*; » et sanctus Augustinus in *psalm. lxxxiii*, 8: « *Virtutes, inquit, agenda vitæ nostræ quatuor describuntur a multis, et in Scriptura inveniuntur. Prudentia dicitur, qua dignoscimus inter bonum et malum; justitia dicitur, qua sua cuique tribuimus, nemini quidquam debentes, sed omnes diligentes; temperantia dicitur, qua libidines refrenamus; fortitudo dicitur, qua omnia molesta toleramus.* »

(89. Dictæ quatuor virtutes cardinales nuncupantur, quia sunt tanquam aliarum moralium virtutum fontes, et cardines, quibus subnixæ tota humana vita regitur: sicut enim ostium in cardine, ita omnis honestæ vitæ ratio in illis versatur, atque universa boni operis structura eisdem innititur. Unde S. Greg., lib. ii *Moral.*, cap. 36: « *In quatuor virtutibus totam bonam operis structuram consurgere testatur.* »

(90. Cæteræ morales virtutes respectu virtutum cardinalium in triplici differentia sunt positæ. Aliæ enim virtuti cardinali tanquam species, in quas dividitur, subjiciuntur, et ideo partes *subjectivæ* virtutis cardinalis appellantur. Aliæ, sine quibus virtus cardinalis integra et perfecta esse non potest, eo quod ad perfectionem ejus actus concurrant, et partes illius *integrantes* seu *integrales* vocantur. Aliæ denique instar potentiarum, seu facultatum ipsis virtutibus cardinalibus subserviunt, et earum partes *potentiales* nuncupantur.

(91. Omnes virtutes morales, sive cardinales, sive eis adjunctæ sunt ita inter se connexæ, ut nulla prorsus absque cæterarum comitatu obtineri possit in statu perfecto et heroico. Et ratio est, quia virtus perfecta est constans et firmus ordinis amor, quo quis id quod rectum est, et rationi consentaneum in quavis materia proæquitur: talis autem amor constans, firmus et habitualis omnes plane virtutes includit, cum nequeat quis, verbi grat., esse perfecte

justus, si careat fortitudine, vel temperantia, vel liberalitate, id est si careat amore ordinis vel in materia fortitudinis, vel in materia temperantiæ, vel in materia liberalitatis. Quippe iudex timidus minis terri, intemperans voluptatibus teneri, avarus pecunia corrumpi potest, ne jus perfecte ac recte reddat. Sic fortitudinem, temperantiam, etc., sine cæteris aliis virtutibus nemo in statu perfecto et heroico obtinere potest. Unde S. Augustin., epist. 167, alias 29, num. 5, alias cap. 2, sic habet: « *Certe hinc persuadent, qui unam virtutem habuerint habere omnes, et omnes deesse cui una defuerit, quod prudentia nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse; nam si aliquid horum defuerit, prudentia non erit. Porro si prudentia tunc erit, si et fortis, et justa, et temperans sit, profecto ubi fuerit, secum habet cæteras. Sic et fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta; sic temperantia necesse est ut prudens, fortis et justa sit. Sic justitia non est, nisi sit prudens, fortis et temperans. Ita ubi vera est aliqua earum, et aliæ similiter sunt. Ubi autem aliæ desunt, vera illa non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur.* »

(92. Quamvis autem nulla virtus moralis possit sine cæteris obtineri in statu perfecto seu heroico, qui scilicet virtutis culmen attingit, et quo ita sedati sunt affectuum motus, ac ita fracti, ut virtutem commovere amplius non possint, potest tamen una sine cæteris aliis esse in statu imperfecto, in quo quis affectuum motibus agitur, et iis ægre solum resistit, ut tradunt communiter doctores.

(93. Virtus moralis proprie sumpta est *habitualis amor ordinis*, sive « *est amor firmus et constans honestæ mediocritatis per rectam rationem in qualibet materia definitæ*; » id est habitus inclinans ad id agendum, quod iusta in mediocritate sic positum est ut neque rationis, aut ordinis modum excedat, neque ab eo deficiat in qualibet materia. Unde communiter dicitur quod *virtus in medio consistit*, id est, *in mediocritate*, non autem *in medio rei*.

(94. Mediocritas enim, seu medium est duplex, scilicet medium rei, ac medium rationis. *Medium rei* ex Aristotele lib. ii *Ethic.*, cap. 3, est *illud, quod ab extremis æqualiter distat*, estque ubique, et semper idem. Ut 6 medium est inter 10 et 2, nam senarius numerus a binario et denario æqualiter distat, nempe quatuor unitatibus, et hoc medium vocatur ab Aristotele *arithmeticum*, et hoc habet justitia commutativa, nempe reddere præcise cuique quod suum est, sive statuere vel conservare æqualitatem rei ad rem. *Medium rationis*, seu *geometricum* est *illud, quod a ratione præscribitur*, et quo statuatur quid, quo tempore, et quibus circumstantiis agendum sit. Unde, ut vides, *medium rei* est ex natura rei taxatum, ut in omnibus sit omnino idem: *medium vero rationis* non est ita determinatum, sed variatur ex diversis conditionibus et circumstantiis personarum operantium. Ita

tamen ut semper in mediocritate consistat; nam si quis ab ea mediocritate, vel excedendo, vel deficiendo recesserit, in vitium morale incidet. (95. Cum vitium morale sit *habitus malus inclinans ad actus malos*, id est ad actus a recta ratione, seu ordine per excessum aut per defectum aberrantes, qui actus peccatum vocantur. Vide *supra* a num. 12 ad 15.

(96. Unde deveniendo ad virtutes cardinales seorsim captas, prudentia definitur ab Aristotele, lib. vi *Ethic.*, cap. 3: « *Habitus vera cum ratione activus in iis, quæ sunt homini bona vel mala moraliter*; » id est habitus, quo non tantum quid agendum sit, et a quo abstinendum cognoscimus, sed etiam quo constanter amamus id agere, et agimus quod agendum est, et ab eo a quo est abstinendum abstinemus, quia id *ordo* postulat. Et secundum sanctum Basilium homil. 12, *Ad popul.*, « *Prudentia est recta eorum, quæ agenda, vel non agenda sunt, cognitio.* » Et ut definitur communiter, « *prudentia est recta agendorum ratio*, » seu est virtus, qua in quovis occurrente negotio noscimus quid honestum sit, quid turpe, seu quid agendum ut honestum, et quid fugiendum ut inhonestum.

(97. Prudentia, quamvis essentialiter non sit virtus moralis, sed intellectualis, est tamen directiva, dux et regina omnium moralium virtutum, sine qua nulla earum consistere potest. Unde sanctus Bernardus serm. 49, *super Cantic.* dicit: « *Tolle discretionem (prudentiam), et virtus vitium erit*; » et can. *Præsentium* 3, caus. 1, quæst. 5, expresse dicitur, quod prudentia, sive « *discretio, mater est omnium virtutum.* » Et id ipsum habetur in cap. *Custos* 1, De officio custodis, ibi: « *Omnia cum discretione agantur, quæ noscitur omnium virtutum esse mater*, » juncta Glossa *ibid.*, verb. *Cum discretione*, expresse dicente: « *Discretio enim mater est omnium virtutum.* »

(98. Partes integrantes sive integrales prudentiæ octo enumerantur a sancto Thoma, 2-2, quæst. 48, artic. unic., easque desumpsit partim ex Aristotele, lib. vi *Ethic.*, cap. 12 et sequent., partim ex Macrobio, lib. i in *Sonn. Scip.*, cap. 8, et ex sancto Augustino lib. lxxiii *QQ.*, quæst. 3, et sunt sequentes: memoria, intelligentia, providentia, ratio, docilitas, solertia, circumspectio, cautio.

(99. Ad perfectam igitur prudentiam est necessaria *memoria*, id est præteritarum rerum recordatio, ex qua nascitur experientia optima rerum magistra; item *intelligentia*, seu intellectio, id est præsentium notitia, et primorum principiorum practicoorum cognitio; item *providentia*, id est futurorum præscientia respiciens futura hic et nunc, maxime a prudentibus consideranda; item *ratio*, id est promptitudo et facilitas rationandi, et unum ex alio colligendi; item *docilitas*, seu prompta facilitas ad discendum ab aliis prudentibus et expertis; item *solertia*, seu sagacitas, id est facilis excogitatio et applicatio mediorum ad finem conducentium; item *circumspectio*, id est at-

tenta ad recte exponendas omnes circumstantias actionis moralis consideratio; item *cautio*, id est cura et sollicitudo omnia evitandi incommoda, et cavendi ne sub specie boni voluntas applicetur malis.

(100. Partes subjectivæ, seu species prudentiæ sunt quinque, scilicet, monastica, œconomica, politica, legislativa, et militaris. S. Thom., 2-2, qu. 48, art. unic., et alii passim.

(101. Prudentia *monastica et personalis* seu *solitaria*, et sui moderatrix, est illa, quæ dicitur quo pacto quis prudenter se gerere debeat circa seipsum. Prudentia *œconomica* est, quæ dicitur modum recte gubernandi familiam. Prudentia *politica*, seu *civilis* est, quæ dicitur modum recte administrandi rempublicam, legumque observantiam procurandi: hæc enim respicit bonum commune totius reipublicæ seu civitatis, sicuti œconomica bonum solius familiæ, et monastica bonum solius sui ipsius. Prudentia *legislativa*, seu legalis est, quæ instruit suprema capita regnorum et provinciarum ad idoneas condendas leges, earumque procurandam observantiam circa bonum totius regni seu principatus publicum regimen. Prudentia *militaris* est, quæ præscribit normam recte militandi.

(102. Partes potentiales prudentiæ tres communiter assignantur cum sancto Thoma, 2-2, quæst. 51, et Aristotele, lib. vi *Ethic.*, cap. 10 et sequent., nempe *Eubulia*, *Synesis* et *Gnome*. Tria enim sunt munia ipsius prudentiæ, ut post Aristotelem et sanctum Thomam, *locis citatis*, notant passim doctores, nempe *bene consultare*, *recte judicare*, et quod iudicatum seu decretum est *ad praxim reducere*. Unde:

(103. *Eubulia* (Latine *bona consultatio*) est habitus facilitans ad recte consultanda et excogitanda media apta pro consecutione finis. *Synesis* (quod Latine est *sensate discernere*) est habitus disponens ad ferendum rectum iudicium de particularibus operabilibus consultatis lege communi definitis. *Gnome* (Latine *sententia*, *pronuntiatio*, aut *imperium*) est habitus disponens ad determinandum, seu jubendum rectæ executioni esse tradendum id quod bene consultatum et iudicatum est.

(104. Vitia prudentiæ opposita per defectum, id est per prudentiæ carentiam, quatuor potissimum recenseri solent ex S. Thoma, in 2-2, q. 54, et sunt præcipitatio, inconsideratio, inconstantia et negligentia.

(105. *Præcipitatio* est vitium, quo quis opus aliquod statim præcipitanter, non præmissa sufficienti consultatione et deliberatione, aggreditur, sicque opponitur *eubulicæ*, seu bonæ consultationi. *Inconsideratio* est vitium, quo temere iudicatur et concluditur de ipso opere exsequendo, non præmissa debita attentione et diligenti rerum ac circumstantiarum inspectione; sicque opponitur *Synesi*, seu bono, ac sensato iudicio. *Inconstantia* est vitium, quo quis de rebus jam semel deliberatis, ac recte iudicatis sine ulla, vel certe sine sufficienti